~~Amer Rm~~

22839/A

FONTANUS [FUENTE], A.D

[illegible]

[illegible]

GUADALUPANA

B. MARIÆ VIRGINIS

IMAGO,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

89678

ANDREÆ DIDACI FONTANI

SACERDOTIS

GUADALUPANA B. MARIÆ VIRGINIS IMAGO,

QUÆ MEXICI COLITUR,

CARMINE DESCRIPTA.

FAVENTIÆ ANNO CIↃIↃCCLXXIII.

Ex Typographia Epiſcopali
JOSEPHI ANTONII ARCHII.
Præſidum facultate.

Quæ ſpectata Mexici Occidentalis Indiæ fert Traditio pia, *ac narrant Hiſtoriæ Guadalupanæ, ſcribimus poeticè, non quæ Romæ diſcuſſa; atque adeò non aliam, niſi quàm par eſt, exigimus fidem.*

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

MAGNÆ DEI GENITRICI
MEXICANI REGNI
PATRONÆ PRINCIPALI.

V*IRGO, pios auſus, veteris pueri-*
lia Muſæ,
Suſcipe Materna qua pietate ſoles.
Non Tibi diſpliceat raucæ jam vena ſenectæ,
Quæ Tibi nil ultra, quod dare poſſit, habet.
Hæc mea ſigna tui, quantùmvis parva Clientis
Non tamen ingrati ſigna Clientis erunt:
Nam cùm magna tui dederis mihi ſigna favoris,
Æquum eſt grati animi me quoq. ſigna dare.
Parva quidem, fateor, nec idonea dona rependo:
O quàm ſunt meritis illa minora tuis!

Sed bene Tu minimos poteris cognoſcere motus
Pectoris, & ſignis plura videre meis.
Mens fuit Auſonio cultis edicere verſu
Quæ per Te occiduæ mira tulere plagæ.
Te tacito motu credo mihi velle dediſſe,
Et facere hoc etiam, credo, fuiſſe tuum.
Hæc, quamcumq. dedi ſtillam Permeſſidos undæ,
De GUALUPÆO non niſi fonte venit.
En tua dona Tibi ſubmiſſo poplite reddo,
Atque tuos pono cernuus ante pedes.
Non ut opus plantas redimat quaſi ſerta roſarum;
Sint licet iſta tuis Carmina texta roſis.
Quin potiùs ſupplex, ſi me dignaberis, oro,
Ut tua agreſte meum planta coronet opus.
Et quiſquis videat tanto diademate tectum,
Non vile, at potiùs Nobile credet opus.
Sit licet incultum, faciet diadema decorum,
Ut placida quiſquam Carmina fronte legat.
Interea memor hæc florum mea charta tuorum
Duret, & Effigiem pendeat ante tuam.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

Quiſquis es, ò Lector Prudens, qui hæc carmina volvas,
Non illa ut Judex, Teſtis ut, oro, legas.
In propria Judex cauſa damnabo, quod egi;
Judicii teſtem Tê volo adeſſe mei.
Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala multa;
Quæ dabit iſta oculis Charta notanda tuis.
Charta ſit hæc, plantis variis utì conſitus Hortus,
In quo ſunt frondes, gramina, mâla, roſæ.
Quæ bona erunt, credas aliâ de fruge recîſa;
Quæ mediocria ſunt, & mala, crede mea.
Feci ego, quod faceret rudis, ac devota Puella,
Cui rerum utilium copia nulla foret;
Quæque Dei *donum vellet præſtare* Parenti*,*
Quam tenerâ ſemper Relligiône colit.
Quid faciat? Ramum variis de floribus ornat,
Lætaque Virgineo devovet illa tholo:
Sic ego de cultis, foliis vernantibus, hortis
Collegi pulchras, quæ placuêre, roſas,
E quibus intexo ramum, quem pronus ad Aram
Virginis exiguum defero in obſequium;
Ut quæ ſparſa virent pulchris in floribus agri,
Pulchriùs in ſola Virgine cuncta micent.
Si tibi diſpliceat, criménve putêtur iniquum,

Noliſque ut noſtris ſint bona miſta malis:
Ipſe modum dicam, quo mê iſto crimine ſolvas:
Accipe, ſi placeat ſumere, conſilium.
Fac bona, fac meliora bonis, fac optima, *&* *ecce*
Perfectum ex omni parte legêmus opus.
Si tamen hinc rarum renuas ſentîre labôrem,
Quòd facere egregium ſic opus, hic labor eſt;
Non ſolum Teſtis, ſed Judex, deprecor, adſis,
Et mea judicio Carmina ſubdo tuo.
Tolle meis, quod erit melius tibi tollere viſum;
Addere quod placitum, verſibus adde meis.
Si fuerit quævis, ut erit, de VIRGINE MATRE
Vox minor, appoſitis aucta ſit illa meis.
Illius eximias pone in præconia voces,
Suavius ambroſiâ Carmen ut omne fluat.
Hæc ubi perficias, aliis committe legenda:
Forſitan hi flores fructus honôris *erunt.*
O! Utinam multis Pulchræ Genitricis amores
Viváci ſtimulo Carmina noſtra creent.
Præcipuè cupio moveant mea Carmina Vates;
Quos ferat in Cantus Virginis aura novos;
Culta quibus fuerit facundæ gratia vocis,
Et felix dulci copia fonte fluat.
Ingenii vires impendat, & ôra reſolvat
Eloquio ſuperis conveniente Roſis:
His faciant ſervîre ſuas, Cœlo auſpice, Muſas:
Gloria quæ major? Quis magis amplus honor?
Si placet Heróo componere digna cothurno,
Non eſt heróis dignior ulla modis,
Seu blandis Elegis deludere dulciùs optent;
Blandior eſt elegis florea Virgo Parens.
Hinc alii egregii ſurgant toto orbe POETÆ;
Sit quibus ore Roſas *verſificante* loqui.

Nec

Nec tantùm ore canant florentia ſigna Latino;
Certâtim illa omnis barbara lingua ſonet.
Metricâ ut allecti verſûs dulcedine cuncti
Virgineas laudes nocte, diêque canant.
Si tamen indignans quis noſtri Carminis auſus;
Tales, aut ſimiles promat ab ore ſonos:
Quis ferat ut rauco ſenio *jam frigidus Anſer*
Audeat æthereos ſtridere voce modos?
Nos tamen arguti juvenes *ſileamus Olores;*
Hi, quibus auratam cêdit Apollo Lyram?
Haud mora; Divino præcordia concitus Oeſtro
Mexiceas *reſono fundat ab ore* roſas.
Hoc juvat, hoc ſitiens votis ingentibus opto;
Dummodo Virgineum floreat inde decus.
Ingenuèque manus cedens, licèt horrida, dîcam,
Hoc volo, nunc nobis Carmina noſtra placent.
Non mê blanda movet, *ſterilis laus*, Fâma Poétæ,
Nec quæ poſt cineres gloria ſêra venit.
Siqua igitur merces ignoto eſt debita Vati,
Tu pro Vate rogâ, plurima Virgo *dabit.*
Si tibi nulla placent, aliis fortaſſe placebunt;
Pluribus hæc, uni non tibi, ſcripta putes.

VIDIT

Pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Vitale Joſepho de Bobus Epiſcopo Faventino D. Matthæus Joannardius Parochus SS. Salvatoris.

Die 10. Novembris 1773.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis Sancti Officii Faventiæ.

PARS I.

PIcta quidem, ſed vera cano mirácula florum,
Quæ Regina Poli terris patraverat olim
Mexiceis, ubi clara patent, dignèque coluntur:
Non ſi ullis flores inſcripti nomina Regum
Naſcuntur terris, terrâ naſcuntur in illa,
Quæ dedit Autumni vernos in tempore flores:
Ex quibus in ſigno celeberrima floret Imago
GUADALUPANO MARIÆ cum nomine nôta,
Virgineâ depicta manu, ſervataque mixtis
Floribus, in probrum tinearum, & temporis acti,
(*a*) Quadraginta ſuper duo ſæcula, & ampliùs annos.
Portentum ſanè, quo non florentius ullum,
Nec vîſum in terris ſimile, aut quid pulchrius unquam,
(*b*) Orbis ut & *Genti non factum táliter omni*.
Huc rapior teneræ tacitâ dulcedine mentis,
Et quod amare juvat placuit deducere verſu.

(a) *Picta mirabiliter* 12. Decembris anno 1531.

(b) Non fecit taliter omni Nationi. *Antiphona Officii proprii à* BENEDICTO *XIV. adprobati tandem* 24. *April.* 1754. *jam olim ab Alexandro VII. poſtulati.*

Dulcis enim vetat ingrâtum ſentîre labôrem
Materies, & mê, ſolers ſi fortè negatum
Ingenium, *facient Votum*, *Pietaſque Poêtam*.
Aſt mihi, qui Cæli aggredior divîna referre;
Vera locuturo Cæleſtia Numina ſolùm
Adſint. Tu mihi Dîva fave, Gualupia Virgo:
Tu mentem, calamumq. move, qua nulla priorum
Semita, nulla viam ſignant veſtígia Vatum.
Ut canere à Superis per Te data munera florum,
Sparſaque per cunctas Cæleſtia gaudia terras,
Utque tuas poſſim laudes & nomina ferre
Sôlis ab occaſu, fuſcis dum mergitur undis
Uſque mari ejuſdem nitidum ſurgentis ad ortum;
Tu pingens Tê, corda moves: Cognata Poéſi
Si credi Pictûra poteſt, tacitique colores
Carminis inſtar habent, ſonet in præconia Carmen,
Unanimeſque probent Artis commercia Muſæ.
Carmine ego ſeriem cupio memorâre tuorum
Nunc operum gratè notis, quibus Itala tellus
Tê colat, & meritos in Te convertat amores;
O! utinam Auſonias volitans hæc Charta per oras
Accendat pietâte animos, cultuque perenni
Creſcat in immenſum meritæ tua gloria laudis!
Floret in Occiduis famâ notiſſima terris
Mexicus, ingentis Sédes primaria Regni,
Urbs, quæ omnes inter longè caput altius effert
Dives opum, populo numerôſa, & fertilis agris;
Hanc ſibi Virgo Parens, Cæli Regîna, Maria
Cui Cælo, terrâque fuit donata poteſtas
Quodlibet optandi, regnis ex omnibus Orbis
Elêgit, doniſque ſuis ſignaverat unam,
(Móre Dei, indignis ſólita eſt nàmq. ampla favêre)
Regiam ubi Sedem firmâ ſtatione locaret,

Ele-

Electamque volens ſignis decorare ſupernis;
Majeſtâte ſuâ dignum, mirabile donum,
Floribus è Cælo factum generôſa relîquit,
Regnet ut in ſigno populis Clementia Matris;
Hoc eſt, picta roſis, non arte Myronis, Imago,
Qua nihil in terris reſpexit pulchrius æther.
Surgat opus, jamque ignotas ab origine cauſas;
Et tanti ſeriem, ſi fas eſt dicere, facti
Excipe: nam réferam, quámvis non vocibus æquis,
Traditio quæ priſca docet, quæque acta leguntur.
Poſtquam Chriſtíadum Fidei convertere gentem
Mexiceam *vîſum ſuperis*, ceciditque ſuperbum
Dæmonis imperium, tot jam labentibus annis;
Jam decies Titan ſigna illuſtraverat Axis,
Ætâtem ſignando novam, quum Carolus ille
Quintus, & Auſtríacus Cæſar, nullique ſecundus
Tunc Rex Heſperiæ, longâ ditione tenebat
Orbe Novo regnum, legeſque, & fœdera terris
Edoctus dabat incultis pro Rege Senatus.
Tunc jam Evangelicæ reſonabant claſſica Lègis;
Ortaque Mexígenis fúerant jam lumina Cæli,
Qui miſerè infandis habitârant mortis in umbris.
Ergo vident Populi lucem, Cælo auſpice natam,
Indigenæ, & cupiunt multi, luſtralibus undis
Jam Christo aſſerti Jesu, conſcendere ad aſtra,
Dæmonis exóſi tenebras, cultumque Deôrum:
Tendere quin etiam, vitæ immortâlis amôre,
Per virtûtis iter, vitamque tenêre beatam.
Indígenam, natum quámvis de plebe ſuorum
(Joannem dixêre ſui Didacumque Parentes)
Fécerat illuſtrem Pietas, & Gratia prima
E luſtrâlis aquæ ſacrato fonte recepta.

(c) Hic fuit ante alios, quem magna in munera Virgo
Selêgit, fecitque ad mîra patranda miniſtrum:
Relligiónis amans, & ſervantiſſimus æqui,
Qui nè tartareum ſtygii rectôris averni
Numen adorâret, diriſque accenderet aris
Dona Sabæa (Patri Divôrum debita ſummo)
Neve ſuas unquam menti laxaret habenas,
Cûra ſed una foret Pietatem extendere factis,
Et calcâre vias, queis *tendit in ardua virtus*,
(d) Solus in ædícula caſtâ cum conjuge vitam
(e) Et frugi, & tenuem traducere firmus habebat.
Martis erat, fauſtuſq. dies, & Nôna Decembris
(f) Ibat & ad pagum *Tlatelolco* nomine dictum:
Hìc ubi Francisci Proles lectiſſima Divi
Vulgabat divina Novæ Myſteria lêgis,
Hujus amor Didacum diſcendæ, & cauſa ferébat,
Quum graditur per iter prope clivum montis opáci,
Qui paſsûm ferme tria millia diſtat ab Urbe.
Tempus erat, quo blanda rotis Aurora coruſcis
Adventat, jam prompta mari conſurgere, & Orbi
Optatam deferre diem prænuncia Phœbi,
Cœpit & audíri mîrâ dulcedine cantus
Attentas hominis mulcere aptiſſimus aures.

Conſtitit

(c) *Joannes Didacus nomini erat* Pio Neophito, *in 6. Lectione Officii proprii ſic laudato.*

(d) *Conjux erat* Marîa Lucîa *ex Indica gente.*

(e) *Uterque Chriſtiani facti vivere ſine prole ultro voluerunt, auditâ Continentiæ laudæ.*

(f) *Mexici Suburbium, ſic Mexicanâ linguâ dictum, ubi Domus, & Templum Ordinis Minorum S. Franciſci, & Collegium* Indôrum Studentium *antiquum titulo* Sanctæ Crucis.

Conſtitit Indus, aves reputans de monte canoras;
Qualiter in Sylvis *Centzontles* aéra mulcent.
Centzontles (ſic Mexigenæ dixere vocantes)
Centenas vario reddunt qui gutture voces:
Nec niſi Mexiceis Avis, hæc eſt cognita terris;
Quæ dum ſola canit, ni videris, eſſe putares
Alituum cœtum numeroſâ voce canentum:
Nam modulos volucrum ſolers, quos percipit aure;
Æmula vel ſimulat, ſuperatvè argutior omnes.
Ergo oculos tollit, luſtranſque cacumina montis
(g) *Tepejac* (ſic inter avîta vocabula gentis)
Míra oculis, & mira animo, mira auribus hauſit:
Nam rutilum ſê ſê fundebat in aére lumen,
Et totus radiis mirè ſplendeſcere collis.
Dein cernit niveam, fulgentemq æthere nubem,
Quam circumcingit, Cælo formôſus ab alto,
Versícolor latè radiis vibrantibus arcus.
Inſcius illa ſibi quidnam ſpectácula poſcant,
Attonito pendet ſimilis; tamen omnia fauſto
Omine viſa putat, nî ſomnus imagine vanâ
Luſerit: illa quidem minimè ſperare licebat:
Exquiritque procul, tendens & lumina circum;
Per vacuum adſpiciat campum, ſi forte virum quem
Qui non nôta ſibi Cæli portenta recludat:
Quum videt, aut vidiſſe putat, fulgêre repente
(h) Et montem, & vepres, *Nopalia*, & aſpera ſaxa
Luce

(g) *Mons ad Aquilônem Urbis ita Mexicanè dictus, & latinè ſignificatur* extremum clivôrum, *ſeu* cuſpis.

(h) *Frutex eſt ſpinoſus in amplo, & craſſo folio, cujus fructus Mexici* Tuna *dicitur, alibi* ficus Indica.

Luce nova , & majus fundi per nubila lumen ;
Dehinc audire novas voces , moduloſque canoros ,
Queis aptè fuſis reſponſat vocibus echo .
Aligerûm chorus omnis erat : nam ſolis ad inſtar
Quiſque micat , fulvoque nitet veſtîtus ab auro :
Hi vacuum dulci demulcent æthera cantu ,
Ac ſuaves inter reſonat ſymphónia voces :
Siderei fulgent riſus , plauſuſque decóri ,
Lætitiâ geſtit mons totus , & omnia gaudent :
At Didaco , ſolus tot qui portenta notabat ,
Anguſtum fuerat capienda ad gaudia pectus :
Panditur intereá nubes , & luce refuſâ ,
Iride ſub mediâ patuit pulcherrima Virgo
Os , habitumque DEO *ſimilis .*
Obſtupuit viſu primùm , tum pendulus hæſit ,
Mente ratus non eſſe Deam , nam credere doctus
Numina vâna Deûm ; tamen optat , amatq. doceri ,
(*i*) Quæ ſpecies objecta oculis : O Pulchra *Puella* ,
Quam Te ego , Virgo , putem ? exclamat : Genus annè Deorum ?
Sancta Fides ſenſiſſe vetat . Sed Sole coruſco
Undique ùt effulges ? Ut Te de ſedibus altis
Deſcendiſſe notat , quæ mê reverentia cogit
Ut venerer ! Dixit , ſe ſêque abjecit ad imam
Pronus humum , Divamq. genu demiſſus adorat :
Surge , age (ſic Cæli fatur Regina , DEIque (re.
Alma Parens) equidem haud tali mé dignor honô-
Non Dea ſum , ſim vera DEI licet unica Mater :
Tu cave , me credas (foret ingens credere crimen)
Eſſe

(i) *Didacum* Puellæ *vocabulo ſalutaſſe Deiparam narrat* Bezerra Tancus *Hiſtoricus Guadalupanus , ac viciſſim vocatum blandâ voce* Filii .

Eſſe Deam, Matrémve Deûm, q̄uam Mexica tellus
(*l*) Monte ſub hoc cultā Matrem tulit eſſe Deorum.
Dedecus hoc veſtrum eſt; aboleri dedecus iſtud
Eſt etiam noſtrum, ſtygiumq. fugare dracônem.
Sume animos, *Fili*, pacatòſq. indue vultus:
Hæc quæ cernis erunt magnarum exordia rerum.
Dic mihi ſed primùm quorsū hæc Te ſemita ducat?
Cui jam ſedato (quæ Divæ eſt gratia Matris)
Pectore, tunc Indus caſto ſic farier ore:
Dêgit ubi ſacer, Hiſpanis qui vênit ab oris,
Ordo Sacerdótum, quos rerum ſignat egeſtas;
FRANCISCI genuìna ſui Patris indiga proles,
Inſignes Pietate viri, virtutis amantes,
Sacra miniſtrandi, quibus eſt cōmiſſa poteſtas,
Et præcepta Novæ populis exponere légis,
Quæ rudis Indôrum Fidei converſa recenter
Turba frequens diſcit, repetìtis ordine rebus;
Hæc me cúra viam facit hanc remeare frequentem:
Expeto quin etiam Myſteria Sancta videre,
Atque adſtare ſilens, mediis quæ tractat in aris;
Veſtibus indutus Sacris, de more Sacerdos
Sabbatha, quæ ritu celebrantur Sacra canoro
Vocibus alternis, populo auſcultante fideli,
Numinis ad cultus, ejuſq. Parentis honorem.
Vin' aliud de me, Cæli formoſa Puella?
Tunc placidè VIRGO: Hac mê relligione colendam
Cenſuit *Aſſiſij* Proles, ſacríſque peractis,
Oblatíſque DEO pietatem adjungere honori? (STI,
Namq. Ego ſum ipſa Parens Virgo lectiſſima CHRI-
Qui

(l) *Mater ficta Deorum Mexicanè dicebatur* Teotenantzin, *à voce* Teotl *Deus*, nantzin *Mater*, *cum terminatione reverentiæ frequente*.

Qui Deus eſt & Homo, rerũ Dominator, & Auctor
Proles vera Dei, ſummoque Æquæva Parenti,
Qui propter mortale genus delapſus Olympo
Induit humânam ſpeciem, mê Virgine natus,
Ut tormenta pati poſſet, mortemque ſubíre,
Utque ſuâ ſic morte pios inferret in aſtra.
Id crede, & moriens Vitam immortalis habebis.
Nunc ſed enim, Fili, docilis ſuprema faceſſe
Quæ venio mandata dare, ac tibi fidere ſoli:
Eſt locus iſte mihi gratus, quem præ omnibus Orbis
Conſilio elégì, atq. animo potiore ſacravi.
Hìc ego propitiam, fidâ pietate vocatam,
Mè tibi, Mèque tuis poſthac præſtabo Parentem,
Muneribuſq. novis omnes complébo rogantes.
Ergo, Nate, tibi noſtra hæc jam nôta voluntas,
Nóta etiam Sacri veniat Paſtòris ad aures,
Qui pius ædificet, faciatq. exſurgere Templum,
Hic ubi conſtitimus, Mariano nomine notum.
Vade, age, Mexiceam tè dirige promptus in ur-
Atque hæc Sacrato defer mandâta Parenti: (bem,
Mè tandem Cælo pacem deſcendere ab alto
Decreviſſe, cui pietatem adnectere, & omnem
Virtùtum cœtum noſtræ ſententia menti eſt,
Unigenæque meo multas adſciſcere gentes.
Jam tu abeas álacer, coramque ad Præſulis aures
Adlòquere, & juſſis dubitantem, aſtùq. morantem
Inſtrue: namq. illum prudentia certa tenebit.
Eſt etiam ſtygiis cura inſatiata tenebris,
Et maleſuada fames miſeris, & dira cupido
A genere humano Marianum arcére favorem.
Pòſt tibi magna dabo pro juſſis præmia factis.
Hæc Virgo: At Didacus, cui jam præcordia
fervent

Virginis

Virginis eloquio, Sanctòque uruntur amore:
O dilecta mihi poſthac. Pulcherrima Virgo,
Quas ego nunc tanto valeam pro munere grates
Perſolviſſe tibi? Quo mê dignaris honôre?
Copia non fandi, nec par facundia linguæ,
Rite Tibi poſſim quibus hæc accepta referre.
Cor tamen agnoſcis, cordis pia vota rependent,
Quod nequeunt vires, atq. hoc magè pandet amorem:
Gratìus hoc nihil eſt. Juvat ire, & ponere greſſus,
(*m*) Atq. *Sacerdoti* tua juſſa exponere *Magno*.
Haud ego tam dulci aſpectu divellerer unquam,
Virgo, tuo, (nil pulchrius eſt) ni Tu ipſa juberes.
At Tibi ſi placet, atq. jubes, nihil ire recuſo.
Omnia percepi, ac memorans in pectore ſervo.
Una ſed anxietas mê nunc premit, & gravis urget:
Pauper ego, ignarus, rudis, & ſine voce capaci,
Indus ad hoc munus nulla virtute potitus.
Vâde, refert Virgo, & facies quæcumq. jubebo.
I felix, & Mê comitem tibi crede faventem.
I citus, & fidens mitrato juſſa Parenti
Non dubitanda refer: Mihi nec reſpõſa morêris.
Dixit, & æternam pennis fulgentibus aulam
Invehitur, gratumq. per æthera fundit odôrem,
Fulgentemq. viam ſubiens in nubibus albis
Deſignat, linquitque ſuo candore notatam.
Tunc Didacus tendens duplices ad ſidera palmas
Hac tenerâ Dominam ſubeuntem eſt voce ſecutus:
Virgo, decus Cæli, quis Te mihi Numine plenam
Detulit in terras? Unde hæc tam pulchra repente

Maje-

(m) *Sacerdos Magnus dicitur ab indis* Epiſcopus *voce* Hueiteopixqui, *eleganter, ut ſolent.*

Majeſtas? Video medium diſcedere Cælum;
Prodigium vivum, quo non auguſtius ullum,
Reginam Cæli, quæ mecum mira locuta eſt:
Interea dum Tu celeri virtute polôrum
Tendis iter, pictoq. præit Te gloria curſu,
Sat mihi ſit Tê ſumma Poli convexa petentem
Adſpicere, attonitôq. ſequi trans nubila viſu:
Omina fauſta ſequar, nihil eſt cur îre retardem,
Quò Regina jubes. Nôtam ſic orſus ad Urbem,
Magnus ubi Antiſtes propriâ reſidebat in Aula,
Proceſſit, memorans quæ ceperat omnia fidus,
Multaque Divam orans: Quando contingat adeſſe
Sacro in conſpectu Magni Paſtôris & ore,
Mé doceas, oro, ac linguæ ſuadentia dones
Verba, quibus deceat viſa, atque audita referre:
Ivit, & ingreſſus Sacras Antiſtitis ædes
(A famulis nonnulla priùs ſervilia paſſus)
Rite ſalutato Sacrorum Principe, dixit:
Non ſtipis orandæ duxit mê ſueta cupîdo
Sed fecit mê Sponſa Dei, Materque venire.
Virginis imperio venio, Venerande Sacerdos;
Nuntius ejus ero, licet abjectiſſimus Indus.
Ipſa Parens Virgo Celſi Rectoris Olympi,
Cui Cælum, & tellus parent, (namq. eſſe Parentem
Numinis unîus dixit) mê mittit, ut alti
Conſilii, quod viſa mihi reſeraverat ante,
Te quoque participem faciam, referamq. fidelis:
Gratas nunc quàmvis rudibus dâ vocibus aures,
Sit mihi fas audita loqui, ſit viſa referre:
Pandere res venio dias, & ab æthere lapſas.
Accipe, quæ peragenda Tibi ſunt, namq. ipſa labôrum
Noſtrôrum miſerata, lubens ſuccurrere præſtat:

Ecce

Ecce ibat de manè ſatis miſer hic tuus indus
Doctrínæ captare Novæ Myſteria Sancta ;
Unà & adeſſe Sacris, quæ Sabbata cuncta per annum
Virginis obſequio Patres ſolemnia cantant.
Cùm prope *Tepeyac*, ſub littore collis aperto,
Audiri viſus rarâ dulcedine cantus,
Qualiter in pratis volucres modulantur amœnis;
Feſtivæ volucres, dum primò Aurora coruſcat.
Tanto adlectus ego inſuetæ modulamine vocis
Attollens oculos, luſtranſq. per omnia circùm
Muſica quà ducit, vidi (quis viderat unquam?)
Fulgentem nubem, & totum ſplendeſcere montem.
Tunc Iris radians per apertum roſcida Cælum
Portendit varios adverſâ luce colores,
Ac niveam proprio nubem complectitur arcu.
Viſa deinde mihi (capiat quis talia fando?)
Stans roſea è Superis juvenis pulcherrima Virgo
(*n*) *Iridis* in medio, Cæli fulgentior aſtris. (nantis,
Credo equidem, nec vâna fides, genus eſſe To-
(*o*) Sive *ſuo ex genere eſſe* Deum, qui natus ab illa eſt.
Almus frontis honos, & majeſtâte decôra
Humanâ major ſpecie ridebat in ore
Æthereus decor, & roſeæ verba aurea linguæ
Nil mortale ſonant: Tota eſt ſed Numine plena.
Ipſaque mellifluo mecum ſic ore locuta eſt:
Nate ades, atque eſto ſolers, mandata capeſſe:
Quo mê nempe loco conſtantem, atq. iride cinctam

(n) *Intra* iridem *apparuiſſe Puellam Virginem narrat* Tancus, *qui ex Indôrum chartis deprompſit Hiſtoriam.*

(o) *Nomen* Maria *ſignificat:* Deus ex genere meo. Sic S. Ambroſius.

Cernis, ibi fixas Mariano nomine ſedes
Eſſe volo, Sacroque abeas id dicere Patri,
Quem penes arbitrium, condendi & munera Tēpli:
Hæc ſunt, Magne Pater, quorū ſum Nuntius ad Te.
Certa tibi maneant, nec vana inſomnia credas.
Si Templum ſit cura Tibi fabricare, quod optat,
Ac petit in terris Dominatrix maxima noſtris,
Nil nobis erit utilius, nil gratius illi.
Dixit, & expectans Patris reſponſa tacebat.
Ac rerum ſeriem Antiſtes perceperat omnem,
Utque animo pendit quanta hic miracula claudat
Sermo, hominemq. fide non hæc ad munera dignum:
(Nam ſibi nec notus, nec parte notabilis ullâ
Indus erat) præſtare fidem renuebat, & uſus
Conſilio, tentâre modos prudenter amavit
Multa ſuper viſis rogitans, ac Virgine multa.
Quæ facies? Quæ veſtis erat? Quæ inſignia Matrem
Eſſe Dei monſtrent, fieri quæ talia mandat.
Tunc Didacus, quem Virgo regit, ſic dicere pergit:
Optandum, o Princeps, oculis Tutê ipſe videres:
Namque ego ſum nimiùm rudis, auſim, ut dicere formam,
Quam geſtat, quam nemo valet, vel ſi Angelus adſit.
Si mihi millénis reſonarent vocibus ora,
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis:
Quandoquidem humanū ſuperant Cæleſtia captum.
Os erat æthereum: radiis nam tota refulgens
Cæleſtes oculis, divoſque aflabat honores;
Tales, queis Superûm raperet mirantia corda.
Eſt terræ ſuper omne decus: ſuper omne decôrum
Virgineæ illîus ſê infundit gratia formæ.
Non ſic puniceo Solis prænuncia vultu

Exo-

Exoriens Aurora nitet, roſcôque colôre
Exhilarat terras florens: nec qualis Olympo
Orbe micat pleno, radiis argentea Luna:
Aurícomus Phœbus non ſic illuminat Orbem:
Sole eſt lucidior, jubare eſt fulgentior omni,
Pulchrior eſt Lunâ, Stellis eſt purior ipſis:
Supra aurum, gem̃aſq. nitet, virideſq. ſmaragdos:
Veſtibus aſpírans in verſicoloribus halat
Ver totum, floreſq. ſuo rapiuntur odore.
Lingua nec effari, nec lumina cernere poſſunt,
Quæ vidi, quæ audívi: quod mihi ſentio, dicam:
Illius æthereo tantus decor emicat ore,
Ut ſit amôre ſui captus Deus ipſe, putares.
Finge tibi quidquid pulchri, nitídiq. decôris
Omnis habet tellus, habet & ſublîmis Olympus,
Florida jucundi ſubeat tibi vêris imago,
Quiq. ſolet varius color eſſe in floribus horti
Nunc accende jubar Sôlis: nunc Cynthia plena,
Siderei & radii accedant & lumina, in unum
Omnia ſic collecta, reor, non Virginis ori,
Qui decor eſt, unquam poſſint æquare, nec ullis
Aſſimulare modis, oculis cernentibus aptè.
Miratur Princeps Indum ſic rara locutum,
Ac tantùm non credit amans, quæ credere prudens
Addubitat: melius ſed rem diſquirere tandem
Conſtituit ſêcum tacitus; tum talia fatur: (tus?
Hem, quid ais? Tunè à Domina ſuper æthera rap-
An ſunt in noſtris Dominæ magalia terris,
Hìc ubi tu poſſis tot fari, audire, notare?
Dic, ubi ſunt iſthæc? ibo tecum ipſe videndum.
Cui Didacus, véri certus, ſic ore locutus:
Quod video, non ſum vivus ſuper aſtra levatus,
Sed potius Cæli Dominam veniſſe ſub auras,

Ac ſcio mê claro vidiſſe in lumine Dívam , (dus;
Atque ego ſum felix, quàmquam indigniſſimus In-
Cernere qui potui vultum tam proximus illi ,
Abque illa dulces audire , & reddere voces .
Numquid in agminibus Reginæ defuit , (inſtat
Præſul) Cælitibus , lectuſque è millibus unus ,
Nuncius ad noſtras qui exſcenderet aliger aulas ;
Et tantum è Cælis decoratus munus obíret ?
Hiſpanâ de gente ſatus num defuit alter
Nobilis , illuſtris , ſapiens quem mittere poſſet ;
Conciliare fidem , & pro conditione valeret ?
Quod genus ? Unde domus tibi ? Dic , quo nomi-
ne nôtus ?
Nec decet auguſtam Dominam , cui ſũma poteſtas
Terrârum , Cælique data eſt , deſcendere ab alto ,
Quærere , tot fari , mandare , vocaſſeque natum
Indigenâ de ſtirpe hominem , quêm nulla facultas
Nullaq. nobilitas de plêbe excernit , & auget ?
Haud credam : ſunt hæc vani delíria ſomni :
An dicam , epôtum redoleri carmine Bachum ?
Quidquid id eſt , certè magnum eſt , quod credere
cogis .
Talibus auditis , Didacus tum voce modeſtâ
Sic fatur capite inclinato : Magne Sacerdos ,
Si mea lingua ſui veniam temeraria dicti
Speret , ego veniam Te ſupplice voce rogabo :
Potio Virginea eſt , quæ talia ſomnia gignit .
Hanc utinam potare datum nocteſq. dieſq;
Noctes , atq. dies ſopîtus , & ebrius eſſem .
Dúmmodo ego videam Dominam tam dulce
ioquentem ,
Sit licet in ſomnis . O ſuavia ſomnia Cæli !
Ebrietas præclâra magis , quàm conſcia ſenſùs
Mens

Mens humana ſui, quàm ſobria lumina quæq.
Hæc lepidè in cauſam Didacus; dein ſeria fatur:
Vinum, Sancte Parens (ſi mé decet iſta profari)
Corporis enervat vires, linguamque retardat,
Deturbat mentem, rationis demit & uſum,
Calígant oculi dubiâ quaſi luce videntes,
Atque pedes titubant, nutantq. in corpore motus:
Num mê tũrbâtum, num membra trementia cernis?
Aut tecum mea lingua loquens utì blæſa vacillat?
Abſit, ut hos Bacho tribuam ſceleratus honores.
Hæc neque dicta putes, quò me excuſare labôrem,
Mè neque mentítum, nec ſomnia vana tuliſſe:
Credo equidem (nam recta Fides) ſubjecta Parenti
Omnia Divinæ Cælo, terrâque: neque ullum
Defeciſſe ſibi, ſeu vir, ſive Angelus eſſet,
Sic ſibi ſi placitum; tamen explorâre jubendi,
Haud licitum ſervo, Dominæ quæ cauſa fuiſſet:
Virgo mihi ſua juſſa dedit, ſua juſſa peregì:
Féci ego quæ juſſus faceret, quemcumq. vocaſſet,
Omnia cui párent, mê non parêre liceret?
Siquis non pâret, ſcit qua ratione moretur;
Viderit ille ſibi: nec ego ſua juſſa retardo.
Audiit Antiſtes, penſanſq. & mente volutans
Quæ ſibi dicta, fidem prorſus nè deneget omnem;
Nec facilis credat tantârum exordia rerum,
Conſilii prudens, jubet îre, & ſigna repoſcit:
Signa probent quæ viſa fidem, moneantq. docendo;
Si Divæ id placeat Matri, quæ talia mandat.
Ergo Indus mœſto defixus lumina vultu
Hiſce meis, inquit, dictis quæ ſomnia cenſes;
Excordíſve mero reputas delíria mentis,
Tê cogent præſtare fidem, quæ Virgo parabit

Signa : nec addubito ; citus ibo , & ſigna repoſcam.
Dixit & egreſſus taciti volvêbat in imo
Pectoris eventus , Divamq. in mente gerebat .
Vixque erat egreſſus,quum Præſul mandat, euntem
Per calles famuli obſervent , biníque ſequantur ,
Ac ſibi quod videant ſolerti fraude latentes ;
Edícant , teſteſque ferant , quid fecerit Indus .
Interreà dubiâ rogitans sê mente fatîgat :
En quid agam ? Facile eſt auditis cedere verbis ;
Credere at eſt lévitas : vetat hanc Prudentia ſem-
Non parêre nefas (eſt hæc mihi maxima cûra) (per.
Virginis imperio ; ſed qua id ratione reſolvam ,
Neſcio : mê Virgo perplexum dirigat alma :
Hanc pius orabo Matrem , ſupplexq. precabor .
Hæc tacitus ſecum volvens in mente Sacerdos ,
Quem novo in eventu rerum diverſa premebant
Conſilia , & dubios verſabat pectore mótus,
Nunc huc, nunc illuc, dictis num crederet, an non?
Jamq. ibant famuli , progreſſuq. urbe remoti
Ponè ſequebantur. Curis at inanibus ibant
Solliciti : parvi ſiquidem prope fluminis oram
Illac labentis , quà lucum ſemita pandit ,
Illorum ex oculis ſubitò diſparuit . Ecce ,
Exclamare ambo , ſignum , falſique putare
Arte veneficij , atq. ullo ſine Numine factum.
Mens éadem hæc ambobus erat, qui qualia cre-
Pertæſi narranda ferunt ad Præſulis aures , (dunt,
Quò magè firmatus renuat concedere verbis
Ille fidem Didaci , nil tale ſcientis , & ultra ,
Quò juſſus , tendentis iter, Cæleſtia donec
Monte ſub adverſo Reginæ ad Virginis ôra
(Namque aderat reditûrum præſtolata per oras)
Præpropero accedit curſu , viſamq. ſalutat ,

Ut

Ut ſincêrus erat, pietati & nectit amorem:
Salve, Cælitibus ſpectata Puella: peregi,
Quæ mihi mandâras: retuli tua juſſa fidelis;
Sed falſa Antiſtes reputat, non credulus Indo,
Qualis ego, ignarus, quem nec ſua nomina ſervent:
Mitte alium, ò Diva, illuſtrem, cui credere dignũ.
Nam mê vana putat dixiſſe inſomnia, pôtum
(Qui dolor eſt gravior) vel ſunt redolentia vinum.
Non credo, neq. credam, inquit, ni videro ſignum:
Eſt ſi vera Dei Mater, mihi ſigna pateſcant,
Signa, quibus viſis, mî non dubitare licebit.
His Virgo auditis ſemper mitiſſima Matrum
Subrídens, veluti pavidum ſolata, clientem
Erigit, ac rurſus jubet in mandata redîre.
Vâde, inquit, *Fili*: non te labor iſte gravabit;
Antiſtes credet tandem tê vera locutum.
Noſtra éadem mandata refer: deſiſtere noli,
Hoc opere incæpto; conſtanter perfice munus:
Tecum ero, fide: tibi dabitur quod rite loquaris.
Ac mora nulla: citus Didacus proceſſit ad urbem,
Præſulis & vênit ſedes, tum talia dicit:
En adſum, venerande Parens, rediique citatus;
Qui quámquam indignus, miſſus ſum à Virgine Diva.
Nec mihi fas unquam olli non parêre jubenti:
Jam reſponſa tuli, quæ Tu mihi prima dediſti;
Nec tamen iccirco deſiſtit, ſed jubet inſtans,
Inque loco Templum, quo primùm dixerat, urget.
Signa ubi, Præſul ait, quæ dat mihi Diva petenti?
Plus ego vel minimo credam, quod videro, ſigno,
Quàm verbis, ſi mille mihi, ſi pluribus inſtes.
Signa volo, nec verba dari: ſi videro nullum,
Níteris incaſſum, & voces volventur inanes.

Viribus in noſtris non eſt dare ſigna ſuperna;
(Sic Indus) quidquam nec ſum potis addere dictis.
Aſt ea quæ retuli, Divæ ſunt verba Parentis.
Si mihi non credas, illi non credere tentes?
O deſideriis utinam reſpondeat æther!
At vereor, nè longa nimis prudentia verbis
Uſque meis diffidentes in crimina poſcat.
Non, Præſul, mê ſomnus adhuc facit eſſe loquâcem:
Vel Deus in melius ſuaviſſima ſomnia vertat,
Eveniantq. oculis Indi vigilantibus illa.
Somnia ſunt etiam veros referentia caſus.
Nec nova res eſſet, ſi quæ vigil ôra Parentis
Divinæ aſpexi roſeo formoſa colore,
Ipſamet in ſomnis placidè quaſi viſa patérent.
Nam quæ oculis verè cernuntur facta diurno
Tempore, nocturno plerumq. videre videmur.
Quin ſolviſſe ſolet curas de pectore ſomnus;
Cûra ſed hæc ſomnum, quæ mê tenet, excutit omnem
Corporis ex oculis, nec mê ſinit eſſe quietum:
Si mea lingua tibi víſa eſt temeraria, curam,
Seria quæ triſti ſedet hoc in pectore, dicam:
Quòd Sacer Antiſtes Dominæ parêre recuſet.
Quod bona tot renuat Populo expectanda Fideli;
Differat atque ultra Sedes diſponere Templi,
Divitias ubi Dîva ſuas, ubi munera magna
Explicet, attendens ſua jam promiſſa repoſci:
Hæc me cura premit, ratioq. graviſſima torquet:
Nec dubita, quin dona ferent quicumq. rogarint:
Sicque gregem multum tenerâ pietate fovendo,
Virginis auxilio facies, Cælo auſpice, ſalvum.
O! Tibi Virgo ſuam ſpeciem daret ipſa videndã,
Ipſa loqueretur tecum, & ſua vota referret:

Sum

Sum certus, quin nulla forent obſtantia votis;
Sed placidus faceres, quæ per mê poſcit, & optat!
Nec modò Tu Templum, gazâ ſed divite plenum
Continuò ſtrueres, fulgenſq. & marmore, & auro.
Aſt unum quòd mê delegerit inſtrumentum,
Obſcurâ qui Gente ſatus, fæxque infima plebis;
Tê coram ut dicam, quæ ſit ſibi certa voluntas,
Sic placitum Divæ: Fiat; nihil amplius optem:
Tê tamen Artificem Templo præfecit, & unum
Hoc Té Magna Dei dignata eſt Mater honore:
Quæ tibi laus major? Major quæ gloria, Matri
Quàm potuiſſe Dei Templum fabricare volenti?
O factis inſigne tuis, quod poſtera numquam
Occiduis ætas terris oblîta ſilebit!
Mirâtus Didacum, fuerat qui talia fatus,
Quorum non erat ille potens, potiora novantem
Nunc documenta ſibi miratur Præſul, & æquum
Jam præſtare fidem dictis, & credere ducit.
Eventus ſed enim quò cautior occupet omnes:
Mî, licet, iſta placent, inquit, plùs ſigna placebunt:
Haud credam, ni Virgo det indubitabile ſignum.
Hæc Dominæ dices, cui ſum ſervire paratus,
Ac mihi nè Dominæ vel ad horam dicta morêre,
Quæ te iterum referet, ſed tê non mittet inanem:
Hinc & abire licet. Didacus mandata capeſſit
Præſulis, atq. animum quàmvis quaſſante doloris
Impete, ſed Dominæ graditur reſponſa daturus.

PARS II.

JAmque urbe exierat per littora nôta palûdis
(a) (Mexiceam quondam circum quæ ſéderat urbem)
Atque per anguſtum, quà tendit ſemita, vallum
Ibat in adverſum collem, donâtus honôre
Matris ubi fuerat Divæ. Sed cúra repente,
Atque inopîna ſubit, pagíque mapalia cogit
Ire priùs. Peſtis fuerat graſſata per Indos,
Ac Bernardinum febris excruciabat acerba,
(Indìgenam Bernardinum, Didacoque propinquũ)
Adfixumque toro urgebat vis improba morbi.
Ut reſcit, proprias Didacus deflectere in ædes
Conſtituit, ſiquâ poſſit ratione mederi,
Vel queat officiis Patruo ſervîre jacenti.
Namque erat obſequii, famulorumque indigus; unum
Æger & optabat Didacum: qui protinus adſtat,
Excuſatque moras. Patruus tunc mandat adeſſe,
Atque ſuo injungit ſubitò facienda nepoti:
Non hæc humanâ febris eſt medicabilis arte:
Ac Medicâ morbus ſi non plus arte valebit,
Chri-

(a) *Mexicus fundata eſt in ſitu paludoſo, atque adcò palatione opus eſt ad alta ædificia: alluvionibus eſt obnoxia: in harum maximâ* B. V. de Guadalupe *ad urbem fuit allata anno 1629. apud* Franciſcum Florentiam.

Chriſticolis Animæ potior ſit cura ſalutis:
Eja age, vade citus, ſacrumque accerſe Miniſtrum
Solvere cui culpis data ſit Divina poteſtas,
Ut ferat auxilium properanti ad limina mortis:
Hoc unum poſitis ſummo in diſcrimine rerum
Præſidium miſeris Bónitas Suprêma relîquit.
Hoc mihi ſit certum pacati Numinis omen,
Atque erit, ut ſpero, vitæ meliôris origo.
Sic CHRISTUS, qui vera ſalus, dedûcet euntem
In Cælum hanc animam: Potis eſt donâre quod oro.
Quin etiam interno medicatus lumine mentem,
Si placet, à membris potis eſt depellere morbum.
Quidlibet eveniat, *fiat ſua ſancta voluntas*.
Poſtea, ſi liceat, Medicus quodcumq. levâmen
Herbârum virtute ferat, nè febris adurat.
Bina ſimul Didacum tenuerunt munia preſſum:
Virginis hinc juſſis reſponſa referre; timendæ
Et Patruo parte ex alia diſcrimina mortis.
Quid faciat? Libuit primùm ſuccurrere egenti.
Altera vix croceum fundens Aurora ruborem
Surgebat, lectôque nepos fidiſſimus unà
Conſurgit, Patreſque it Sacramenta rogare.
Sed fugit ire viâ, ſolitus quà tendere, cœptum
Obvia nè Virgo curſum eſſet cauſa morari.
Ergo iter ad lævam montis per devia carpit.
Sed fruſtra: nam Virgo (rudis quæ conſcia fraudis)
Expectata minus fugienti occurrit in agro,
Et ſic effari, curaſque his demere dictis;
Quò tê, Nate, viâ, quà non intendere ſuetus?
Quæ tê ſollicitat, fertque anxia cura vagantem?
Quæ mora te tenuit, tantumque à Præſule miſſus
Expectate venis? Tunc ille rubôre colorat
Effugium, veniamq. moræ ſine crimine poſcit:

Excipe pacato, Virgo chariſſima, vultu
Quæ mihi cauſa moræ, quæ mé infortunia vexant.
Vix ubi conſpectu Sacri Paſtôris abívi,
Mêque domum retuli, lethali peſte jacentem
Vídi hominem multò mihi charum, & ſanguine junctum,
Cujus & obſequium tenuit mê, & cura medendi.
Vâdo accîre Patrem, qui Sacramenta petenti
Conferat, ægrotumque juvet potiore medéla:
Namq. tenax nullá febris pulſabitur arte.
Nil Medicæ valuêre manus, nil ſudor anhelus,
Nec raris proſunt quæsítæ in montibus herbæ.
Jámne vides noſtris quanta hæc incendia tectis
Peſtis agat? Cunctos, credo, populabitur Indos,
(*b*) Ac *Toltecârum* faciet delebile nomen.
Sed *Mater*, cui tanta DEI conceſſa poteſtas
Huc ades, & votis jam nunc aſſueſce vocari.
Ad Tê confugio miſerantem incommoda noſtra,
Ad nos flecte tuos vultuſq., oculoſq. benignos:
Et Gentis, Populîque mei miſerêre dolentis.
Tu requies omnis curæ, caſûſque levamen,
Tu febris indomitæ furias compeſce, neq. ultra
Dira per indigenas ſerpant contagia Gentes.
Hæc mê cura premit; ſed non ea ſola fatigat;
Altera mê anxietas gravat, & ferit alter amâror:
Quod pius Antiſtes mihi non oracula credit,
Têque nec agnôrint omnes, nec améris ab omneis

Hic

(b) *Indi Mexicani ortum trahunt à* Toltécâ *Natione, & venerunt longâ peregrinatione ducti a dæmone in urbem, quam condentes Mexicum à* Luna *dixere.* Boturini *in ſua* Idea Hiſtoriæ Indiarum *typis data.*

Hic mea , Diva, dolor cruciat præcordia, pluſquàm
Si febris hæc æſtu torrêret corpus acerbo.
Dixerat ; at Regîna Parens , cui mellea fandi
Copia , Virgineôque fluunt è gutture rores
Ambroſiæ , quibus illa ſolet lenîre procellas ,
Sic placidè ſervum tenerâ dulcedine mulcet :
Excute, Nate, metus : mœrórem pone gravantem ,
Nullaque de patruo teneat tê cura jacente.
Plus ego proſpicio , ac rerum mê cura tuarum
Sollicitat , quàm tu valeas comprêndere captu .
At cedo nunc, quid Præſul ait ? Num dicta probavit ?
Cui Didacus. Gnaram eſſe licet Te ſentio certus,
Mé quòd amas proprio tamen ore exponere cauſam,
Excipe , quæ paucis fecit compendia verbis :
Haud credam , ni mê ſigno Virgo alma monebit.
Dixit , & indignum ſervum dimîſit inanem .
Nunc , ò Diva , tua indulgens clementia Matris
Mê facit audâcem : paucis dà vocibus aures :
Pâce tua dicam , quæ mœſto in pectore ſervo !
En ſemel atq. iterum retuli tua juſſa : Sacerdos
Credere detrectat : nullâ ratione movêtur . (res.
Haud ſcio, quid ſacras ſic Præſulis obſtruit au-
Et Pater ille pius Tê noſcit, & inclytus odit
Quæ ſint cumque Tibi contraria facta jubenti ;
Imperio tamen ille tuo nil promptus obêdit,
Nec voces , dubio preſſus , tractabilis audit .
Ergo ego ſum ſolus , fieri quì juſſa retardo . (ctus,
Quòd neque dives opum , claris nec honoribus au-
Sed de plebe ſatus , nec ſum ulli cognitus Indus.
Non erat (ajebat Princeps) è millibus unus
Angelus è Cælis , qui dignè hoc munus obîret
Qualem Reginæ Divûm decet eſſe miniſtrum ,
Hiſpa-

Hiſpaniſve fuit non è primoribus ullus;
Affirmare fidem cujus mihi cognita poſſet
Nobilitas, tantis mendacia prodere rebus
Impediens? Nè, Diva, tuis ego nuntius obſtem
Juſſibus. Ah! Dolor hic mê torquet! Têque per ipſam
Tê rogo, mitte inſignem alium, qui dignior adſtet.
Audiit hæc placidâ Matrum mitiſſima mente,
Cui ſenſus placuere pii, caſtùmque ſonantes,
Quales ingenuæ ſoliti proferre columbæ
Adſimiles Pueri: mœſto dein talia fatur:
Pone metum, *Fili*; tibi non metuenda ſuperſunt:
A Patruo aufûgit febris, peſtiſque maligna
Exceſſit, rediitq. ſalus, mê dante quod optas.
Hæc inopîna ſalus prò ſigno certa manêbit:
Bernardinus erit, coram qui Præſule vivus,
Sânus & a Cælo mea tunc mandata probabit,
Signaque præterea, quæ nunc tibi danda reſervo,
Præſulis ambiguâ pellent à mente timores.
Eſt Cælo, terrâque mihi donâta facultas
Mittere de ſervis alium, quicumq. placeret.
Aſt ego Te légi mittendum ex omnibus unum:
Mens immota manet; precibus non annuo tantis.
Tê decet îre, nec alter erit, qui cœpta ſequâtur.
Quare iterum redeas, jubeo: nil amplius obſtat,
Obſequiôq. meo ſuſceptum perfice munus.
Nunc dabo, quæ referas Paſtori ſigna petenti,
Signa, quibus viſis minimè parêre recuſet.
Jam tu aſcende locum, quò nos convenimus antè,
Quando mê primùm vidiſti in vertice montis:
Arida ſit quàmvis, ſteriilſq. humus illa, nec unquam
Extulerit flores, dumôſa, atq. horrida ſaxis:

Quàmvis

Quàmvis inſtet hyems, medio vicîna Decembri:
Nunc tamen aſpicies flores in vepribus ortos,
(c) Vernantemq. roſis terram, longiſque geniſtis,
Et gelidum Autumnum manibus dare lilia plenis.
Vade, roſas, violas, ac lilia collige: quæque
Carpe manu, deferque mihi: juvat uſque morari.
Continuò, doctus terram licèt eſſe malignam,
Indubius, plenuſque Fide in montâna cuccurrit.
Illâ in parte ſitus, quæ reſpicit urbis ad Arcton,
Mons erat, inque illo ſerpebant undique ſentes,
Nam faciunt ſterilem, quæ ſunt immania ſaxa,
Atq. Aquilo gelidus, genus & telluris aduſtæ;
Aſt ubi petroſo conſurgit in ardua ductu,
Frigore conſtrictam cernit revireſcere terram,
Et lætam ſubitò veſtíri floribus herbam,
Autumnîq. probro vivum juveneſcere Majum:
Nam quàcumq. movet greſſus, ſeu lumina tendit,
Erumpunt violæq., roſæq., atque alba liguſtra,
Concluſîque patet ſpecies mirabilis horti,
Inclyta felîcis referens compendia terræ.
Quis gelido hæc unquam non expectata Decembri,
(d) Vel Tempe in magnis vidit miracula? Vidit
Indus in Occiduo meritò memorabilis Orbe,
Indus & ille *Pius*, cui nomen Gratia ſignat.
Qui novâ poſſe videns inter tot germina florum
Carpere

(c) *Die illâ* 12. Decemb. *non tantùm roſas, ſed alios etiam flores enatos narrat Hiſtoricus ſanè diligens* Franciſcus Florentia, *qui cóminus à tergo Imaginem vidit, & quaſi aßutos, ſeu potiùs preßos flores diverſos obſervavit.*

(d) *A tempore biemali, & montano ſitu ſimul miraculum florum commendatur.*

Carpere quos libeat, veluti foret inſcius, hæret;
Interea advertit motus, quis crederet? ipſos
Quoſdam inter flores, quaſi jurgia nôta trahentes.
Credíderi s forſan finem noviſſe ſupernum,
Ad quem Virgo ſuum ſigno illuſttaverat ortum.
Ergo hilares cuncti, roſeis ceu vocibus uſi,
Ambitione piâ Didacum captare volebant.
Nempe decus tantum meritò, tantumq. peroptat
Quiſque bonum, ſi Virgineæ vertâtur in almam
Effigiem Matris, Superæ quam lumine mentes
Conſpiciant avido, pronuſque in vota ſalutet
Totus ab ignotis motus jam partibus Orbis.
Nec titulis caret ambitio: documenta feruntur
Ex forma, & ſpecie, propriiſq. coloribus apta.
Nec mora, certatim repetunt ſua jura modeſti!
Prima coronatæ oſtentans incendia frontis
Sê Roſa præponit rubeo ſignâta colore:
Nam decet imperium florum, quam purpura veſtit,
Ac veluti adſtanti cupiens Regina videri
Oris opes, totamq. colorum in lumine gazam
Explicat, optati dans argumenta decôris.
Candida dein viridi ſê Lilia caudice tollunt,
Atq. humiles alto deſpectant vertice flores,
Formoſâ ridente comâ, quam purus adornat
Candor, & effuſi diſtinguit lamina lactis;
Utque Roſis etiam ſubmittere colla recuſent,
Lilia Virgineo, dicunt, ſunt apta pudori,
(e) *Candidus ac Sponſus* fuit *inter Lilia paſtus*.
(f) Pulchrior inde venit foliis Granadillus amœnis,
Flos

(e) *In Lectione* 3. diei Octavæ *B. M. V. de Guadalupe valde propriâ, ut recitâtur* 19. *Dec. Mexici*.
(f) Granadillus *dictus* Flos Paſſionis *Chriſti, lau-*

Flos qui Mexiceis proprius ſpectatur in arvis,
Exque humili ſurgens procerus ſtipite, parvum
Deſinit in gyrum, variôque colore notatur,
Aſpera quo *Christi Paſſi* tormenta figurat:
Clavórum ternas acies, & Vulnera ſignat
Sanguineis notulis, & ſpinas, flagra, columnam:
Quòdque magis mîrum, roſeo de caudice floris
Crux ſimulata patet, quam ſpinea ſerta coronant.
Hoc ſê jure probat delectum à Virgine Matre
Vincit odoríferas Arabum fragrantia meſſes
Noſtra, inquit Nardus, naſo dans gratus odores,
Nec candore minus rutilanti cedimus ulli.
Sôlis amans ſequitur foliis imitantibus orbem
Flos, qui purpureæ Solem inter ſidera terræ
Sê jactat, quoniam Phœbum comitatur euntem:
Haud ero Solis amans, inquit, ſed Virginis Almæ.
Sic alii, atq. alii timidè ſua jura ferebant:
Gratia enim ſua cuiq. placet ſpectabilis ôris.
Sic & formoſæ *Tulipæ*, quibus invidet *Iris*
Grandia inexhauſtis variata coloribus ôra.
Sic quoque Virginibus donum memorabile Calthæ:
Candida ſic niveis veſtíta Liguſtra pruinis,
Et teneræ Violæ, facies queis purpurat oſtro,
Et lachrymis Narciſſus hians, & ſemper Achantus
Frondibus intextus; fragrans & Amaracus agris
Qui rutilat nitidis, immortaliſq. Amaranthus.
Cetera conſurgit nullo diſcrimine florum
Turba minor, cupiens certato in munere partem
Ac Didaci intèrerat môtam componere lîtem.

---

datus à Poëtis maximè alienígenis, pulchrè ac latinè dicatur Flos Chriſti, *ut olim ille dictus* Jovis flos. *Sic* Heliotropion *Græcè*, Solis flos.

Ut faceret, cunctis voluit ſua jura tueri;
Núllius in probrum, legitq. ex omnibus æquus;
Certanteſq. inter ſtatuit concordia pacem.
Inde loco patuli, portantis ſacra caniſtri,
Undique collectos poſuit ſub paupere tela,
Qnam rudè contextam, ductis ceu cannabe filis;
(g) *Mexiceâ ex aloê*, mellis, vinîque feraci,
Mos erat indigenis dorſo geſtare cadentem,
Palliolîque loco conſtrictam ad pectora nodo;
Tunc reditum properat, Cæleſti vêre refertus;
Atque ubi pervênit ſpectandæ ad Virginis ôra
Lætitiâ exſultans humili ſic voce profatur:
Accipe, Virgo, roſas, libuit quas carpere obortas
Saxôſum ſupra montem, ſpiniſque rigentem:
Neſcio quî tales potuêre erumpere flores:
Imperium ſed credo tuum veniſſe ſequentes;
Et florum attractos, ni fallor, odóre tuorum:
Currere quin etiam *Nopalia*, germina, ſentes,
Sáxaque, vel potius totus mons îre volebant.
Tunc Virgo adſpectans, manibus componere ſacris
Cœpit, & attactu ſpiravit odoribus Æther.
Póſt, ubi compoſitos habuit, telâq. repoſtos
Aptavit, Didaco mandata noviſſima dixit:
Hæ roſæ erunt, præſtanda fides cui plurima, ſignum.
Conde ſinu cautè, ulli nec permitte videre:
Attrectare nefas, donec Paſtóris ad arces
Principis adventes, ſignumq. ex tê ipſe requirat:
Viſa, & facta refer, tunc & mandata repoſce.
Macte

(g) *Frutex Mexici vocitatus* Maguey, *ſimilis aloê in ramis pinguibus, ex quibus concreſcit, ibique perutilis eſt etiam ad tecta pauperum: alicubi videntur arboreſcere: adeò grandeſcunt.*

Macte animo, Fili: cœptis confíde ſecundis;
Técum ibo, dabiturque fides tibi ſigna ferenti:
Numquam ſic hilaris fuerat pius Indus: ad Urbem
Continuò graditur, repetitque Palatia ſacra,
Intrepiduſque rogat, fiat ſibi copia fandi.
At famuli, inceſſit quos tunc veſana cupído,
Ut ſcirent, quid tela novi concluderet, Indum
Stare jubent, multo primùm ſermone rogantes,
Quid ferat occluſum telâ, prenduntq. tacentem,
Arripiuntq. manu, & vi veſtigare laborant.
Ac vidêre roſas, quantùmvis reſtitit Indus,
Sed quaſi depictas, telæque in ſtamine fixas.
Patris & ingreſſus Magni penetrále: Daturus
En, inquit, ſignum, Præſul Venerabilis, adſto:
Ecce roſas teneras, quas non natura videri
Tempore in hiberno natas permiſerit unquam.
Et mirare magis: licuit nam carpere flores
Monte ſub hoc parvo, poſitum quem cernis ad Ar-
Sunt ubi ſaxa ſolum, ſpinæ,&*Nopalia* fructûs. (cton,
Quæ ſterilis tellus, peperit modò roſcida frondes,
Atque tulêre roſas dumêta rigentia vivas
Virginis imperio, quas vêra in ſigna paravit.
Scilicet in laudem Dominæ ut facunda reſolvas
Ora, videnſq. oculis animo jam credere firmes,
Eſſe Dei vêram, fecit quæ talia, Matrem.
Dixit, & expandens telam, quam ritè gerebat
Apprenſamq. manu, nodôque ad colla ligatam,
Paruit in terris viſu mirabile ſignum.
Namque ſolo fuſis aliquot de floribus: Ecce
Conſpicienda Dei patuit Genitricis Imago
Floribus expreſſa, & levidenſi picta, manenſque
Pallíolo: *Occiduæ* fecit quæ munera *Genti* (mam,
Magna Parens, propriam ſubita ſub Imagine for-

Sêque dedit Populis Divam, *Matrem*que colendam,
Præſentemq. malis, atq. in pia vota vocandam.
Nunc age, Virgineæ quæ ſunt ſpectacula formæ,
Seu vultus, quos Virgo ſuos in Imagine pinxit?
Sic equidem expreſſos, vivôq. colore micantes,
Vivere ut adfirmes potiùs, quàm credere pictos.
Sed quis, Diva, tuam ſpeciem deſcribere vôce
Audeat? Aut ſolam valeat vel imaginis umbram?
Ni tua dextra manum vatis, calamumq. gubernet
Ignari, qui Tê exoptat, geſtitq. canendo
Et celebrem facere, & toti laudarier Orbi
Sôlis ab Occaſu ipsîus radiantis ad ortum?
A Tê, quod moveo, aggrediar: Tibi ſerviet uni
Quidquid erit décoris, ſibi namq. exépla repoſcunt:
Siquid in aſſimili ſublûcet imagine pulchri,
Gloria tota tua eſt: Auctorem facta ſequuntur.
O Tê, carminibus pulchram ſic pingere poſſim,
Ut quicumque tuos videant in imagine vultus,
Divini affecti tacitâ dulcedine ſensûs
Tê magni faciant, & ament, mirentur, adorent!
Téla eſt in quadro poſita, albentîque renîdet
Nube, coloratum diffundens limite campum,
Quatuor ad cubitos quæ plus extenditur alta,
Látaque vix ternos, dorſo ſatis apta tegendo:
(*h*) In medio téneræ corpus +~~duodenne~~ Puellæ
Cernitur, anguſtum cui Sol collectus in Orbem,
+quindenne Ac velut

(h) *Inſignis Mexici* Pictor *Michaél Cabrera Oaxacenſis, inſpectâ Picturâ* Guadalup., *obſervavit referre ætatem Puellæ* 15. *annorum, Lunamque ſubjectam* terræ Colôre. *Sic in Codice, cui titulus*: Maravilla Americana &c. *edito typis anno* 1756. *Pallæ color proprius* verde már *dicitur*.

Ac velut à tergo poſitus, corpuſq. receptans,
Diſecat effuſum circùm jubar, undique tortos
Vibrat & obliquùm radios, lucemq. refuſam,
Ac pleno Dominam gyro radiante tuêtur.
Ex auro Regale caput diadema coronat,
Quod micat, & radiis, véluti ſolaribus, altum
Eminet, ac multo diſtinctum cuſpide ſurgit.
Siderei Regina chori quæ candida Luna
Heic nova curvatam flectens in cornua frontem,
Prîma renaſcentis minuat ceu lumina formæ,
Virgineum velut amplectens, *nunc terrea*, corpus,
Eſſe ſub auguſtis pedibus quaſi ſubdita gaudet.
Quòdque novum ſediſſe putes in Imagine Cælum,
Sex & quadraginta micantia ſidera pallam
Cæruleam ſpargunt auri fulgore coruſcam,
Inque ſuis defixa locis, errantia nuſquam,
Sint licet in terris, numquam caſura putentur.
Palla caput velat, ſed monſtrat flexa capillos,
Stat ſuper à tergo, atq. ad talos defluit imos;
Brachia perque humeros demiſſa ad pectora ſervat,
Læva plicat partem, pectus quæ, & cingula tangit.
Eſt ſubrubra clamys, depictaq. floribus aureis
Fundit sê ex humeris, tenuis quam zonula nodo
Leniter adſtringit, laxo tum libera limbo
Deſcendit, pedibuſque tenus veſtígia lambit,
Atque ſuper curvam refluit pars infima Phœben.
Pendulus è collo parvus nitet aureus orbis,
Cujus & inſignit medium Crux nigra colore,
Hic & diſciſſam clamydem ſub gutture nectit,
Sólaq. Virgineo ſunt iſta monília collo.
Ergo Divinæ ſic jam ſpectatur Imâgo
Matris, ut in medio recto ſtet corpore Sole.
Depinxit faciem decor ipſe, Modeſtia frontem;

A dextrís tenet alta caput Clementia pronum
Demiſſoſq. oculos, quaſi nos in pectore cernat:
Cæſaries bene nigra fluit ſub tegmine pallæ,
Triticeúmque genis roſeo cum rore colorem
Temperat ille pudor, caſtos qui ſuadet amores:
Qui labris afflatus honos! Quæ gratia naſi!
Quantus in auguſto lepor, & quæ gloria vultu!
Aſt ego quid majora meis nunc vocibus auſim?
Omnia Mæoniæ ſi cui ſint flumina linguæ,
Illius exiguam poſſit vix dicere partem.
At longas, gracileſq. manus, orique colore
Adſimiles, junctas gerit, & ſub pectore tollit;
Ad dextrum porrecta pedem, collecta ſiniſtrum,
Quem penitus condit, patulâ vix cuſpide dextri?
Inceſſu, geſtûque gravis; ſed ridet honeſtâ
Majeſtate lepos, quo non auguſtior alter.
Ac licèt inſideat curvatæ in cornua Lunæ,
A puero librata patet, qui vertice corpus
Virgineum ſuſtentat ovans, & pendulus alis;
Cujus dextra tenet clamydem, pallamq. ſiniſtra;
Infima pars pueri tegitur ſub nube nivali:
Ore, oculis, ac veſte refert ex æthere lapſum
Nuncium, & Angelici dat córpore ſigna decôris;
Ad mammas tunicâ veſtítus murice tincta,
Quam globus auratus niveo ſub gutture claudit.

PARS III.

TAle eſt Mexiceis Signum quod viſitur Indis,
Sacrum, auguſtum, ingens, venerandum, & penſi-
le Cælum:
(a) Ferme ſub ſpecie, licuit qua cernere Vati
(Quum Sapiens, plenuſq. Deo myſteria libro
Signavit ſæclis olim volvenda futuris)
In Cælo apparens Signum. Tellûre ſub ima
Vidit, & accêpit dona hæc Cæleſtia Præſul,
Joannes etiam nôtus Zumarraga Genti,
Quum lapſæ patuére roſæ, Didaciq. repanſo
Pallíolo, viſa eſt oculis Cæleſtis Imago.
Obſtupuit mírans, intentuſq. ôra tenebat,
Menſque immota ſuos nequiit profundere ſenſus;
Donec ab exceſſu rediit præcordia ſanguis:
Tunc demum in terrã, lachrymis ſuffuſus obortis;
Proſiluit, flexôque genu venerabile ſignum
Pronus adoravit, telámq. ad labra propinquus
Applicuit, pedibúſque pius ſacra oſcula Matris
Virginis impreſſit, pavido & ſic farier ôre:
Si veniam mereor, Cæli Regina, Deique
Virgo intacta Parens, ſervo tua juſſa moranti
Parce, precor: Tua prona fuit Clementia ſemper

(a) *In Officio Guadalupano à SS. D. Noſtro* Benedicto *XIV.* ad lection. 6. Nocturni 2. *factâ mentione* Signi Magni Apocalyp. 12. *poſita ſunt hæc verba Concepta:* In ea fere ſpecie anno 1531. mirabiliter picta Deiparæ Imâgo Mexici apparuiſſe fertur.

Indulgere reis, miſeri qui crimina deflent.
Jam dubitaſſe pudet, nimis ah! pudet: inſcius egi.
Non merui, nec dignus eram, ut mandata dediſſes,
Sed neque dignus eram, ſigna hæc Divina videre.
O! quam Tê memorem, Virgo, quæ talia donas!
O felix una ante alias hæc ultima tellus!
Non quia divitiis ſit nulla æquabilis olli,
Nec quia fœcundis ſcatet undiq. fœta fodinis,
Vel quod temperiem æqualis clementia Cæli
Sic placidam fecit, ſummi ut non temporis unquã
Aut hiemis rigor, aut æſtatis torreat ardor;
Sed neque fertilibus, quâ nulla feracior, agris
Gaudet, ut & facies terræ ſit ſemper amœna:
Floribus halet ager, quovîſq. in tempore poma
Ac ſimili nuſquam ferat, aut meliore ſapore.
Sed quia Virgo Parens, Dominatrix inclyta Cæli
Mexiceos habitare lacus delêgit, & urbem
Præſidio firmare ſuo, Templôque ſacrare.
Adſpicite, ò famuli, mecúmq. intendite mentes.
Ecquid adeſt nobis, Divæ niſi Matris Imago?
Sic oculos, ſic illa manus, ſic ôra ferebat.
Ambiguum eſt, formæne decus, caſtîne pudoris
Pulchrius emineat: ſic emicat ore venuſtas:
Colla ſedes Charitum, ſinus eſt & circus amôrum.
Purpureis lepidè quæ mellea gratia labris!
Et gravitas quàm blanda piæ, quàm ſeria fronti
Temperat infuſam ſpeciem, totoq. micantem
Sidere majeſtas radiis majoribus auget!
In placido ſedet ôre quies tranquilla ſerenæ
Mentis, & ætherei florens nitet ore ſub illo
Cômis amor, mitîq. tener ceu nectare ſenſus.
Gratia Virgineo fudit ſê plena decôre.
Dicere ni vero latè inferiora timêrem,

Scilicet

Scilicet hoc dicam, quod fas eſt dicere verbo;
Quidquid habet Cælum, quidquid natura venuſti,
Uni prima ſuæ cedit prœconia formæ.
Rumperet uſque ſuas ſuadenti offuſa pudore,
Hac viſâ, telas, filo quas finxit Arachnes,
Cernere ubi flores, herbaſq. colore virentes,
Atque leves nubes claudentes ſidera Cæli
Diſcretaſq. manu, ſi vera eſt fâma, ſagaci
Formas, & parvo totas in ſtamine partes.
Hoc opus, has artes, quas eſt mentita vetuſtas,
Hìc novitas manifeſta probat: fit fabula verax;
Haud tenui in tela, ſed agreſti ſtamine texta,
Materiâq. rudi, quam plebs pauperrima veſtit.
En Cælum, & Lunam, & Stellas, & nobile Cælum,
Et MATREM ecce DEI, ſummo quam vertice geſtat
Spiritus ille puer, pictis pulcherrimus alis,
Non ſecus atq. infans, qui brachia blanda Parenti
Porrigit, atq. illi ſubductus colla reponit.
Materiam non vincit opus, ſed creſcit ab illa:
Nam voluit Divina Parens (ni fallimur) eſſe
Maxima Imago ſuæ formæ, & labor ipſius unus,
Quæ par archetypo reliquas longè eminet omnes:
Nec ſimilem viſa eſt primam, nec habere ſecundam.
Qui mihi non credas, reputa, quod credere dignum eſt,
Virgineas feciſſe manus, oſtendere terris
Quum voluit faciem, roſeâq. in Imagine noſci.
Siqua fuit ſpecies depicta ſimillima formæ
Virginis, in noſtris hæc eſt, non altera, terris.
Poſthac Pictores, tota licet Arte periti,
Sive Myron, ſeu Zeuxis erit, ſeu magnus Apelles,
Haud auſint unquam, valeantvè hos pingere vultus.

(*a*) Nam decor illius nullâ eſt imitabilis arte :
Nec capit æthereum fragilis jubar ulla tabella :
Tanta eſt Virgineæ conceſſa potentia dextræ.
At ſi hæc quiſq. videt, nos plura videre videmur :
Plus aliquid, quàm viſa refert, bene viſa recondit.
Impreſſit manifeſta ſuî veſtigia virtus
Omnis, & in vultu roſeo ſua lumina pandit.
(*b*) Demiſſos ſpeculare *oculos*, ſimileſque *Columbæ*,
Tranquillaſq. genas : ſervatam ſuſcipe linguam,
Melle ſaporatam, preſſumq. in gutture mentum :
Cerne manus blandè junƈtas, & peƈtora ſupra
Compoſtas, prope ut ad Cælos intendere palmas
Orantem reputes Matrem, chariſq. precantem
A Domino auxilium Populis : cerne inde colorem
Mexigenûm, clamydemq. pedes, pallamq. tegentem ;
Cerne caput : Virtus alio non eſſet amiƈtu.
Fleƈte genu, *ſignumque* pius *venerabile* adora.
Neſcio, quid ſpirat vitæ ſine munere Signum.
Ac niſi reſpirat, ſperat tamen, æſtuat, ardet,
Sollicitatur, amat, gaudet, cupit omnis in illo :
Uſque adeò vultus, quàmquam diſtermina longè
Mens, animat, nec in ore tacet, quid traƈtet in Aſtris.
Ergo ego Tê, Virgo, qua mê decet eſſe fidelem,
Mente colo, manibuſq. meis, & peƈtore donum,

Quo

(a) *Nominatus* Cabrera *teſtâtur, humanæ regulas Piƈturæ prætergredi Effigiem de Guadalupe, idque fusè probat, & explicat. Luculenta ſunt etiam teſtimonia Piƈtôrum Mexici anno* 1666. *apud* Florentiam.

(b) *Reapſe ſunt* Columbæ, *quales* Cantic. 4. v. 1. *deſcribuntur*.

Quo tua mê ducit clementia magna trementem
Accipio. Dixit, ſolvenſq. à tergore nodum,
Quo Didaci ex alto pendebat gutture tela,
Illam in parte domûs, ſibi quam ſacraverat antè
Ædiculam, poſuit, ſupráque altare locavit.
Conſtitit hìc iterum, totamq. in gaudia mentem,
Atq. oculos tenuit ſuſpenſus, deinde Parentem
Alloquitur Divam, famulis ſpectantibus ultro:
Quanto erit hæc anguſta domus, cui Regia Sôlis
Eſt anguſta nimis! Nunc quàmvis æmula Cæli
Majeſtate tuâ, Diva, & ſtatione ſacratur.
A Tê, quod jubeor faciam, Regina, ſed ipſa
Mê dignare tuo Regali è culmine ductu
Dirigere, ut dignæ poſſint conſurgere ſedes,
Si mihi divitiæ, atq. in prædia magna poteſtas
Suppeterent, ædem fulgenti ex marmore, & auro
Non unam ſtruerem; ſed plurima Templa dicarem:
At niſi ſufficiat fabricæ Mitrata facultas,
Suppeditent alii, contentâ voce rogati, (ptus:
(c) Per fora, per vicos, per quæ omnia compita ſum-
Succurrent omnes Matri, ſuccurrere cunctis
Quæ parat, ac donis noſtra excedentibus inſtat.
Ampla mihi merces, pro parvo magna labore:
Præmia certa manent, ſolita es quæ prodiga ſemper
Fundere, donantes conſueſti & vincere donis.
Intereà (licet haud dignè) tua Florea noſtris

(c) *Non mirum, ſi Antiſtes* Zumarraga Ordinis Seraphici *corrogaſſet ſtipem vicâtim ad primi Templi ædificationem, cum ad tertii magnificentioris fabricationem Illuſtriſſimus illius Succeſſor* Joan. Ortega Montañez, *aliàs* Vicis Regiæ *honôre functus, illam regionâtim popoſcerit.*

Pectoribus fixa eſt , venerandaque vivet Imago ;
Qua coram, ut lampas, memor ardeat ignis amôris.
Quas ſed enim tanto reddam pro munere grates ,
Diva , Tibi ? Per quàm læti miracula rerum
Cernimus , externis non unquam víſa ſub óris.
Ecquid erit, virtus , & mîra potentia dextræ
Cùm tua Mexiceum , quà latè funditur , Orbem
Incipiant cumulare bonis , Populôque precante ,
Lethiferas pellent ægro de corpore febres ,
Ac morbos, peſteſque atras, mortemque fugabunt ?
Spero equidem , nec vana fides , fore tempora ,
Experti , nullis vacuari peſtibus urbes , (quando
Sic ut in antíqui (miſerandum !) partibus Orbis ,
Aſſolet alternos fermè cecidiſſe per annos ;
Aut ſiquis, quandôque gravis , vel lethifer Indis
(*d*) Acciderit morbus , per Tè , ac tua munera pelli ,
Non alio optatam voto exorante ſalutem ;
Spero , Te Populi PATRONAM principe cultu ,
Juratíque velint . Nec erunt incommoda morbi ,
Quæ Tu ſôla fuges : nam ſunt immania belli
Damna , ubi ſanguineum quaſſat Bellona flagellum ;

Non

(d) *Hæc tandem evenerunt anno 1737. quum ad ſepulcrêta Mexici ſarráco Cadavera efferebantur , maximé Indôrum pauperum , quorum humilis natio , veſtitu , victûque modica , febribus imminuta fuit : Tunc veró poſt alias comprecationes ceſſavit morbus , cúm concelebrabant Electionem* PATRONÆ PRINCIPAL. S. MARIÆ DE GUADALUPE , *ſub Antiſtite Joanne Vizarron , cujus auſpiciis prodiit in medium* Tomus *hac de re , anno 1747. titulo:* Scutum Cæleſte Mexici .

Non ea Mexiceis ſed erunt diſpendia regnis:
Tê ſi Regna vocent PATRONAM, Almamq. PAREN-
Illa ſibi timeant, Tê ſîqua vocare recuſent. (rem.
Corpora quin etiam ſtygio poſſeſſa tyranno
Siqua tui quondam veniant ad limina Templi,
Expedijſſe jugo nórint ſê ſê, atq. hoſpite diro,
(*e*) Tê Dominâ infernum preſſante in tartara Ditem.
(*f*) Hæc Pius Antiſtes lachrymis fundêbat, & ôre.
JOANNIS DIDACI felix clareſcere nomen
Intereà, ac florum Miracula fama canebat.
Vox ubi Mexiceam graditur vulgata per Urbem;
Continuò Hiſpani, primîque ex ordine Cives
Accurrunt celeres Sacrorum ad Principis ædes.
Circumſtant omnes aulam, ſtudiôq. requirunt
Virginis Effigiem, & Cæli portenta videre.
Nam dubium quoſdam tenet, an miracula certa,
An potius falsâ aſtutus deceperit arte
Indus, & hæc tacitâ ſecum ſub mente recondunt.
Ut vidêre, oculis & florida fulſit Imago,
Obſtupuere animis, oculiſq. hærentibus omnes
Depoſuere metus: nam credat quiſque neceſſe eſt,
Quando

(e) *Exemplo comprobatum, quod enarrat Franciſcus Florentia* in Hiſtoriâ Guadalupanâ, *iterum editâ Barcinone anno* 1741.

(f) *De Pietate Reverendi admodum* Zumarragæ, *Paſtoris, ac nominati* Protectôris Indorum *credibile eſt, rem novitâte mirabiliorem litteris conſignaſſe, quàmquam non inveniantur. Ad Comitia Generalia ſui Ordinis Seraphici* ſcripſit de Imagine noſtra Guadalupana: *videatur Auctor Menologii, ac Theatri Mexicani* R. P. F. Aug. Vetancurt Frãciſcanæ Familiæ Obſervantium. typis Mêxici.

Quando oculi oſtentant portenta ingentia nacti;
Quàmque vident omnes, ſibi jam res ipſa pateſcit.
Atque aderat jamtum, Didaco mandata nepoti
Qui dederat, *Bernardinus*: nam Præſul adeſſe
Fecerat, & morbi ſeriem, cauſamq. ſalutis
Dicere nunc juſſus, coram ſic Præſule dixit:
Viſa mihi, Princeps, Virgo dedit ipſa ſalutem:
Adfuit illa mihi mortali peſte jacenti,
Irradians parvum multo ſplendore mapale,
Attonitum & ſolata ſuis placidiſſima verbis;
Quippe venenatam morituro è corpore febrim
Depulit, & vegetas tribuit, queis polleo, vires:
Utque ſui poſſim placiti modò teſtis haberi.
Quis mihi non credat, qui sê miſerante revixi?
O! poſſim illius Templum, atq. Altâre videre,
Sanus ubi meritas enitar ſolvere grates. (bis
Atque utinam magni Deus hæc mihi Conditor Or-
Addere dona velit, poſitas ut corporis hujus
Exuvias Matris Divinæ ad templa relinquam.
Ipſe ego teſtis ero æternùm, teſtiſque tabella,
Quæ ſuſpenſa tholo, aut tumulo, vel muta loquatur,
Ac geret inſcriptum poſtremo in margine carmen:
„ Hìc Bernardinus Jacet ille, ad munera vitæ
„ Quem jamjam expirantem animã Pia Virgo redu-
„ Ut data vita foret non eluctabile ſignum, (xit,
„ Quod Templum hoc noſtris ſacrum ſibi vellet in óris,
„ Quò ſibi caſtus amor Matri, Sanctæq. Mariæ
„ De Guadalupe titulus, Nomenque daretur.
Hæc ait, & roſeâ pictos in imagine vultus
Dum videt: Huic, inquit, mihi viſa ſimillima Mater,

(g) Hac

(g) Hac mé ſub ſpecie vîſit, morbumque fugavit:
Ergo hilari plauſu Cives, & murmure feſto
Laudibus excipiunt æquis mirabile florum,
Extolluntq. DEI Dignam ſuper aſtra PARENTEM.
Fortè aderat magnâ notus pietate Sacerdos,
Quemq. adeò Cives dicentem, & ſacra ferentem
Audire, & caſto ſoliti ſermone moveri.
Hic ut in adſtantes converterat ôra, notaſque
Senſerat accenſi tacitis ſub mentibus ignis,
Quo Pietas, Virtuſque flagrat, ſubmittere flammis
Nititur ipſe faces orans, ac talibus infit:
(h) Vos, Animæ, generoſa cohors, quas vera Parentis
Virginis accendit pietas, & prona voluntas,
Huc alacres corde, atq. animis huc ſemper adeſte;
Ingenuâque fide veſtris occurrite votis.
Hìc meliùs, quàm Zeuxis aves allexerat uvis,
Adlectantur apes: ſugenda ad mella citantur
Humanæ huc mentes: omnes hæc attrahit Icon,
Quæ miris expreſſa roſis, quæ vivida vernat.
Non licèt hi flores, ut apes ſine mente peritæ
Ore legant cupidæ, puro ſervantur in horto;
Hìc ſervantur enim Cæleſti rore perennes,
Atq. manu Superæ ſpirantes Virginis auram;
Unde piæ paſcantur apes, ut prata legentes
Tranſmittant ſæclis fragrantia mella futuris:
Hortus

(g) Joannes Bernardinus *mortuus fuit* 15. Maji 1544. Didacus *verè, imò & Colendus admodum Antiſtes* Zumarraga, *electi à Deipara, diem ſuum obierunt eodem menſe Junio* 1548. *Albo lapillo notâtur in Hiſtoria de Guadalupe Mexicana* nomen *JOANNIS multiplicabile.*

(h) *Hæc hortatio poeticè ficta.*

Hortus nutrit apes, & apes in dulcia caſtas
Mella vocat mentes: huc crebro examine motus
Inſtigate pios, circumq. volate frequentes.
Jam de rore levi flores ceſſate caducos
Sugere: clauſa liquant alium hæc alvearia rorem,
Et flagrant meliore thymo: vos ſugite mella,
Atq. implête favos: vobis hæc prata vireſcunt.
Hortus mella fluit: currunt de fonte liquores,
Virgineæq. roſæ, ceu lactea flumina, manant.
(*i*) Huc avidâ properâte ſiti: nam florida Mater
Et ſitit hauriri, & mellis gerit ubera plena:
Nocte, diêque patet, neque mammas denegat ulli.
Fortunati omnes, quibus hæc portenta tueri,
Virgineamq. oculis faciem ſpectare beatâ:
Sorte datum, quibus huc etiam adventare licebit
Per mare, per terras, per mille incommoda rerum.
(*l*) Hi *Solem, Lunamque novam, & nova ſidera* cernent,
Quæ Virgo effecit, digitôrum mîra ſuôrum
Sunt opera, & miro reſplendens lumine *Cælum*:
Oſtentántne aliud loca fœta nitentibus aſtris?
Eſſe quid hoc dicant quiqui hæc miracula norunt?
Ferte gradum, celeres animi, properate, venite,
Eſſe ſuper terris vultis quicumq. beati.
Certè ego, præſenti licuit cui cernere, quîque,
Dum ſunt hæc oculis mihi viſa madentibus, hæſi,
Ac prope Virgineo in Cælos ſum raptus amôre,
Contingat ſiquando alias inviſere terras,

Implebo

(i) Qui bibunt mê, adhuc ſitient. Ex Epiſtol. *Miſſæ pariter propriæ de Guadalupe obtentæ per Poſtulatorem* Joannem *etiam, gubernante Mexici Excellentiſſimo* D. Joan. *Guemez de Horcazitas*.

(l) Et vidi Cælum novum. *Apocalyp.* 21. *v.* 1.

Implebo clamore locos, quibus exul, & oras:
O Virgo! O flores! O Sacri lumina vúltus!
O mihi quis tribuat terras, quibus abſumus, ire,
Et dilecta nimis Gualupia Signa vereri!
Mente tamen, quæ ſôla loco non exulat illo,
Ire juvat, roſeámq. Dei mihi viſere Matrem.
Exhinc, Virgo, tuos venerabor ſemper amores,
Et quocumque loco Superi mê ſtare relinquant,
Inquîram ipſe roſas, quas ſpargam altaria circùm,
Et ſuaves violas, & candida lilia quæram,
Et ſpargens flebo, & tenero flens pectore dîcam:
Has tibi, Virgo, roſas, & purpureos hyacinthos
Ex animo ſacro; memor hinc, licet exul, adoro.
His ut ut exiguis lætos ornabo quotannis,
Feſtivoſq. dies, ipſa & celebrabere donis.
Forſitan obſequio poſſim impetrare quod opto,
Scilicet ut ſuprema mihi cùm venerit hora,
Me miſerum aſpicias, interq. precantia verba
Deficientem animam accipias, cælôque reponas.
Præſidium quis tale mihi, jam morte propinquâ
Spondeat? Illa quidem ſpondet Clementia Matris.
Si genus eſt mortis patrijs excedere terris,
Ac ſiquis degat peregrinis exul in óris,
Exulibus nobis jam ſòla ſepulcra ſuperſunt.
O felix, licèt exul ego, ſi, quando quieſcam,
Tê ſaltem, Divina Parens, in Imagine cernam
Et fractos oculos in Te, mea Vita, meum Cor,
Languidus attollam, nil jam mortale videre
Exoptans, ac Cælo inhiantem corpore ſolvas.
Donec ego vivam, certè tua florea mente,
Cordis & affectu ſemper requieſcet Imago.
Deſierat fari; Civeſq. in vota, preceſque

Vocibus

Vocibus admoniti, conſurgat ut Inclyta Templi
Móles, Paſtori, cui juſſa eſt fabrica, Magno
Largíri incipiunt ſumptus, ſpondentq. daturos.
Hactenus HISTORIÆ ſeriem comprendimus omnem,
Quæ meritò gratas teneat mirabilis aures.
Nunc ſed erant monſtranda oculis Sacraria Divæ,
Quæ pius Antiſtes vicino in littore montis,
Viſit ubi Virgo Didacum, conſurgere fecit,
Effigiémque arâ MARIANAM in principe poni;
Poſtquam feſtivâ duxit per compita pompâ:
Hoc & Mexiceæ Gentîq. Urbîq. reliquit
(*m*) Præſidium, & cunctis Cælum ſpectabile terris.
Dicere quin etiam quantum pòſt divite gazâ
Creverit, atque ingens ſit môle tricorpore Templi
Ædes, ceu princeps, ſublimibus alta columnis,
Longa pedes centum, dilata & partibus æquis:
(*n*) Quatuor à ventis turrîta; ornataq. multo
Argento, atque auro. Solido nam fuſilis auro

Lami-

(m) Magnifico excepta Templo ingenti colitur Populorum, ac miraculorum frequentiâ. Ex lect. 6. Officij. *Magnificentia auxit anno* 1750. *Regale, & inſigne Sacerdotum Capitulum Choro deſtinatum, cujus primus Abbas* Joannes *Alarcon, Archiepiſcopo Mexicano Illuſtriſſimo* RUBIO, *qui tandem obtinuit Officium, & Pontificiam* Patronatus *Confirmationem* 25. Maji 1754.

(n) *Dedicatio hujus tertii Templi Concionibus per* 9. *dies celebrata* 1. Maji 1709. *die quidem memorabili in* Faſtis Guadalupanis, *quem componendo libello titulum ex profunda mente pii Viri, Mexici noti Vitâ,* Xaverii Lazcano *Clientibus ſtudioſis B. V. M. de Guadalupe ultimò dictâmus.*

Lamina Virgineam Effigiem circumdat, & omne
Circumfuſa latus ſplendet, mediôq. reſervat,
Oſtenditq. ſimul vitro : tum bractea totum,
Tectum quod ſtrato ſummum uſq. accedit ab imo,
Aurea pegma ſacrum tegit; atq. argentea lampas
Arte laborata inſigni cum floribus aureis
Penſilis ante aram immortali fulget olivo:
Vaſa quot ex auro Sacros ſervantur in uſus;
Et pretioſa nimis quot veſtimenta, ſupellex
Quanta, per aſſiduas animôrum aggeſta piorum
Divitias, & ſponte datas, & jure repenſas,
Semper ut optatum Diæ Clementia Matris
Larga bonum præſtat, proteſtantúrque tabellæ,
Quæ multæ in Templo pendent. Sed dicere tantam
Congeriem rerum quis poſſit carmine? Vates
Exoriatur, amem, noſtris his vocibus actus,
Qui queat Hiſtoriam latè conſcribere magnam;
Quíque velit, Virgo quanta hìc mirácula patret
Pangere, & iſtîus memoret prœconia laudis,
Materiâ longè Æneidos ſuperante cothurnum.

LAUS DEO.

R. C.